



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 38. Luparam veniens, ibidemque a Rege exceptus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI. „meum vindicare cogor, hancque ob
 A.C. 1588. „rem tanquam Vir privatus absque ullo
 „comitatu, qui suspicionem ingerere
 „posset, advenio, unice studiosus, ut in
 „omni occasione Regi satisfacere, ei-
 „que testatum reddere possim, quod
 „nunquam ejus jussa violare inten-
 „dam.”

§. XXXVIII.

*Luparam veniens, ibidemque a Rege
 exceptus.*

*Thvil. & Da-
 vil. l. c.*

Ergo Guisus Dux die nona Martii Pa-
 risios veniens ad Reginae Matris ædes
 equo descendit, ab eadem ad Regem
 deductus, quem tamen Henricus vix
 conspiciens, mox commotiori voce ita
 alloquebatur: „ne Parisios venires, ti-
 „bi significari jussi: adhæc Dux repo-
 „suit: nec id diffiteor, attamen tuam
 „æquitatem imploraturus me Regiæ
 „Majestatis arbitrio tradidi, & calum-
 „nias meorum hostium capitis periculo
 „confutaturus huc adveni, nec tamen
 „comparere ausus fuisset, si mandata
 „magis disertâ, & clara a Majestate ve-
 „stra recepisset.”: His dictis de sua,
 suorumque innocentia longam, & con-
 cinne elaboratam orationem habuit, ut
 per illam cuncta prius a se dicta confirma-
 ret, & suspensiones astu, ut ajebat, inimico-
 rum subortas, ac in Regis animo conce-
 ptas

ptas purgaret: insuper paratum se dice-
bat, quod arbitrio ipsius Regis, & be-
ne erga religionem animatorum Proce-
rum stare velit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1588.

Verum rex suam indignationem dis-
simulans Ducem a se dimisit, hoc addi-
to, si omnes calumnias ipsi impactas
omnino purgatas cuperet, daret ope-
ram, ut facta verbis responderent.

§. XXXIX.

*Ex clausis viarum aditibus seditio
Parisis orta.*

Evoluto temporis spatio Rex omnes
exteros Parisina urbe excedere jube-
bat, cunctasque ædes perlustrari para-
bat: ast incolis sese huic mandato oppo-
nentibus concubia nocte quinque, vel
sex partim Helvetiorum, partim Gallo-
rum millia ad urbem advocandi ansam
arripiebat, atque in variis urbis locis
collocare statuebat: verum hæc ipsa Re-
gis circumspectio, qua suæ securitati
prospectum iri credebat, seditionis clas-
sicum erat; altera enim die duodecima
Maji Parisini horum militum adventu
obtupefacti catenas per urbis vias ten-
dere, dolia, ac pluteos ad obstruendos
platearum aditus adinovere, & saxa,
lapidesque ad domorum fenestras com-
portare, cunctaque omnis generis ar-
ma ad suam defensionem parare cœpe-
runt.

Spond. hoc
ann. n. 3.
Thu. l. 90.
Davi. l. 9.
p. 599.